



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Ad Monachienses.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

magni faciatis, vestramque messem illustri loco
Pragæ sitam indefesso studio pergatis excolere
Christo auxiliante. Vita sit vobis irreprehensibi-
lis, in qua præclarum luceat specimen sancte pau-
pertatis, perpetuæ continentiaæ, obedientiæq; re-
ligiosæ. Peculiariter autem patientiam, & carita-
tem vestram non Catholicim modò, sed etiam Ca-
tholicorum hostes, falsique fratres re ipsa compe-
riant, nomen IES V videlicet per vos magis, ma-
gisque glorificari. Etenim non solum ad docen-
dum, & concionandum, sed etiam ad crucem fe-
rendam, & ad benè merendum de omnibus vos
istuc vocatos, ac missos esse nunquam non me-
minisse debetis. Vigeat igitur in omnibus ille,
quem P. N. Ignatius in primis postulat, vigeat, in-
quam, Zelus feruens animarum, quo prædicti ea,
quæ Christi sūt, sinceris procuretis animis: in hoc
diligenter intenti, ut oues errantes ouili suo, ve-
roque Pastori, quo ad eius fieri potest, in agro Boë-
mico restituantur. Amen, Amen. Seniorem Ca-
nismum, qui primum Collegij nostri lapidem iec-
cit, in Christi nomine vestris & sacrificiis, & pre-
cibus Domino commendetis quæso.

In literis ad Monachienses datis ipse metaper,

*Ad Monachi-
enses.*

•

r 3

tè te-

tè testatur exitum eius Collegij felicem sibi à Deo promissum. Sic enim ait. Ego certè, ut hoc obiter addam, Clementissimo Deo gratias ago, qui me ante inchoatum vestrū Collegium indignū pre- cantem singulari consolatione perfudit, & gra- tiose promisit rerum nostrarum successum fore felicem. Hunc exitus postea comprobauit. Prin- ceps Albertus viua voce simul, & scripto testatus est, cum affirmaret Societatē Iesu in Bauaria sua ad fidem Catholicam restaurandam, ac promo- uendam plurimum contulisse. Norunt & alij sa- pientes, publiceque fatentur post nostrorum ad- uentum diuinum cultū in Bauaria passim reflo- rescere: Ecclesiastica sacramēta sāpius, ac religio- sius exerceri: religionem nouam obsolescere, ve- terem verò magis, magisq; confirmari: Poeniten- tiæ, & caritatis opera studiosius coli: maiorem bonorum studiorum curam in scholis haberi, re- Etiusq; passim iuuentutem Bauaricam in fide, & pietate Catholica prouehi. Hæc ego citra ullam arrogantiam scripta sic dici, & accipi velim, soli ut Deo, & veritati suus constet locus, & gloria de- bita tribuatur: vtq; magis fidum aliorum proba- torum hominum testimonium comprobetur.

Bene-

Benedictus bonorum autor Deus, quod ego senex, atque inter nostros omnes senior factus non modo videam, sed quodammodo gustem praesentes, dulcesq; fructus vestrarū manuum, quos quotānis ex Monachiensi horto collectos depromitis, & compluribus fidelibus vere salutares esse monstratis. Confirmet in vobis quod cœpit princeps benefactorū Christus, ac proprium Societatis nostræ spiritum in visceribus vestris ageat, ut nō vestram quidem utilitatem, sed communem Bauarorum salutem, ac profectum animalium, præsertim in Clero, populoq; Monachiensi promouere pergatis. Quāto autem clementiores, ac munificentiores erga vos habetis Princes, tanto maiorem illorum meritis, eorumque præclaræ ditioni gratitudinem per vos exhiberi congruit: ita ut Bauarorum animis in fide, & virtute prouehēdis nihil anteponatis: diuinæ gloriæ propagandæ sedulo inseruientes. Caritatis legem auream Christus vobis eximiè commēdauit: sed & Paulus frequēter inculcauit. Hāc ipsam Monachij, & in reliqua Bauaria sic porro excolite, ut iuante Deo, multorū animas magis, magisq; lucrati.

faciatis: ac simul oues errantes ad suum reducatis ouile. De me hoc vnum reticere non possum, & valde vobis commendatum cupio, vt quandiu nouum Collegium, ac Templum D. Michaëli sacram durabit, Senioris Canisij vestri non obliuiscamini, talemque primum siue fabrum, siue Architectum vestris sacrificiis, & precibus Domino commendetis. Ipsi laus, & gloria sempiterna.

Ad Oenipontanos.

Deniq; O Enipontanos in hunc modum hor-tatur. Excolite porro, vt cœpistis, messem Tyrolensem, ac in ea cum prospera Domini benedi-ctione pergit laborare. Commendo vobis, quo-ad possum, debitæ gratitudinis officium, quod nō solum Fundatoribus Austriacis, verùm etiam aliis quoq; Patronis, & amicis, quos Christus non paucos tribuit, sedulò, & feliciter exhibere debeatis. Egregium vobis patet Ostium ad multos nobiles, & ignobiles, ad magnos, & paruos utriusq; sexus homines Christo lucrificiendos, atque in omni pietatis, & virtutis studio magis, magisque confirmados. Igitur paratam vobis messem, eamque uberem libenter amate, & prouochite apud Tyrolenses: nec verbo solum, sed etiam exemplo ad meliora æmulanda charismata multorum in-formate